

non reperi in terminis ab impresso auctore discussam, videtur tamen data conclusio a doctoribus communiter supponi. Unde juxta stylum curiæ Romanæ, brevia eligibilitatis solent per Romanum Pontificem concedi episcopis titularibus talia debite sollicitantibus; quod utique non fieret, si de jure essent eligibiles. Accedit ratio, quia ejusmodi episcopi titulares, sunt veri episcopi, arg. can. *Legimus. § Ubiunque*, dist. 93, et can. *Pastoralis. 7, q. 1*, ac notat hic Archidiaconus, n. 4; Barbosa, cit. part. I, *de Offic. et potest. episc.*, tit. I, cap. vi, n. 15, post Jo. Quintinianum in *Repet. § de Multa*, n. 44, *de Præbend.* et Paulum Gryssaldum, in *Decis. catholicæ fidei. 7. Episcopus*, n. 10, qui advertit contrarium cum pertinacia asserere esse hæreticum; Menochius, *de Arbitrar. judic.*, lib. II, casu 68, n. 52 et 53; Diana, part. XII; tract. I, *de Consecr. episc.* res. 51, Fagnanus, in c. *Ego N.*, n. 83, *de Jurejurand.* et alii ab his citati. Consecrantur quippe episcopi titulares eodem ritu, quo cæteri episcopi juxta *Pontificale Romanum*, tit. *De consecratione electi in episcopum*. Suntque ejusdem sacerdotii cum istis, cit. can. *Legimus. § Ubiunque*, 1, dist. 93. Simulque inter ipsos, et ecclesiam, ad quam consecrantur, intercedit fœdus conjugii spiritualis c. *Inter corporalia de Translat. episc.* Unde merito dispositio loquens de episcopis, etiam ad titulares extenditur, Baldus in Auth. *Licentiam. C. de Sacrosanct. Eccles. Simanca de Cathol. Inst.* tit. n. 25, n. 12. Ricculus *Lucubrat. ecclesiast.*, lib. II, cap. x, n. 1. Ac proinde non mirum, quod ipsi (secluso speciali decreto eligibilitatis, per Papam sibi concessa) ad aliam Ecclesiam eligi nequeant, sed tantum postulari, ad instar aliorum episcoporum: nam, ubi militat eadem ratio, puta conjugii spiritualis, idem jus est statuendum; cum ratio sit anima legis, l. *Cum ratio. ff. de Portionib. quæ liberis*, etc. cum concordantiis.

42. *Habentque votum decisivum in concilio generali.* — Accedit, quod Ecclesiæ cathedrales licet sint in manibus inimicorum, sicque careant clero et subditis christianis, nihilominus maneant cathedrales Ecclesiæ, sicut antea, per textum notabilem Clem. in *plerisque. § Volentes de Election.* ergo et episcopi titulares, earum sponsi, veri sunt episcopi. Imo et pro talibus agnoscuntur in concilio Trident. sess. 14, cap. II, *de Reform.* Et veluti veri episcopi, ac in sua consecratione

recipientes ordinem episcopalem, vocari debent ad concilium generale. Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 93, n. 1, post. Steph. Gratianum *Disceptat. Forens.* cap. cclxxxvi, n. 6. Habentque in eo votum decisivum, sicut cæteri episcopi: cum teneant dignitatem episcopalem: Jacobus Pignatellus, tom. V, consult. 22, fuitque hoc novissime observatum in concilio Tridentino, ut patet ex ejusdem historia per Pallavicinum conscripta, nec non ex subscriptionibus episcoporum ad finem memorati concilii. Quidquid nonnulli senserint in contrarium, volentes episcopos titulares non esse vocandos ad concilium generale, ob defectum jurisdictionis. Licet enim jurisdictionem actu non exerceant, in habitu tamen eam tenent; prout respondet Frances *de Eccles. cathedral. captivis.*, cap. xxxii, n. 10, et seqq.; Ricculus, *Lucubrat. Eccles.* lib. II, quæst. 6, num. 2; Diana, part. XII, tract. I, *de Consecr. episcop.* resol. 77. Tacetur, quod episcopi titulares ex religionibus assumpti, non amplius subjaceant superiori regulari, sed soli Pontifici. Frances in cap. IX, *de Causis privan. cathedr. eccles.*; Azorius, part. II, *Institut. moral.* lib. IX, cap. III, q. 13.

43. *Qualiter careant clero, et populo christiano?* — Nec obstat, quod ejusmodi episcopi ecclesiarum, quæ in partibus infidelium consistunt, clero careant, et populo christiano, ut loquitur concilium Trident. cit. sess. 14, cap. II, *de Reform.* Nam primo his ipsis verbis a concilio œcumenico agnoscuntur pro veris et absolute dictis episcopis: unde, cum in jure nulla reperitur distinctio quoad propositum, neque nos distinguere debemus inter episcopos titulares, et alios episcopos clerum et populum christianum habentes, quantum ad eorum postulationem respectu alterius Ecclesiæ faciendam. Deinde, licet ejusmodi episcopi titulares actu non habeant populum christianum, neque suas Ecclesias personaliter accedere valeant, ob infidelitatem incolarum loci: in habitu tamen eundem obtinet, prout paulo superius jam dictum. Nam hoc ipso, quod consecrentur ad titulum talis Ecclesiæ acquirunt jus respectu illius; et si hæc in manus catholicorum iterum deveniat, tunc absque nova electione, seu collatione, libere possunt redire ad suam Ecclesiam, sicque clerum et populum christianum actu sibi acquirere, cit. can. *Pastoralis. 7, q. 1*; Barbosa, lib. I, *de Jur. ecclesiast. univ.*, cap. XIX, n. 38; Ascan.

Tamburinus. *de Jure abbatum*, tom. I, disp. 16, q. 8; Frances, *de Eccles. cathedral. captivis*, cap. xxxii, n. 34, ac seqq. et alii.

44. *Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ an possint eligi? Et ratio dubitandi.* — Quæritur V. Utrum cardinales sanctæ Rom. Ecclesiæ possint eligi in episcopos, vel debeant postulari? Ratio dubitandi, ac posterius tenendi est: quia in c. *Bonæ memoriæ. 3, h. t.* quidam sanctæ Prædis presbyter cardinalis legitur fuisse in archiepiscopum postulatus. Accedit, quod cardinales sint majores episcopis, arg. Extravag. *Si fratrum.* Joan. XXII. *Ne sede vacante*: juncta Glossa 7. *Alias Superiori.* Nam cardinales constituunt unum corpus cum Papa, arg. can. *Si quis cum militibus. 6, q. 1*, ac notat Glossa magna in c. *Excommunicati. de Offic. legat.* Simulque in executione sacerdotalis officii sunt coadjutores Papæ, c. *Per venerabiles, § Sunt autem. Qui filii sint legit.* Et ipsi habent alas ligatas, quod non consueverint exire curiam Romanam absque licentia Papæ, ut inquit Abbas c. *Ecclesia vestra. 57, num. 15, de Elect.* Eorum quippe præsentia in curia regulariter est utilior non solum Romanæ, sed etiam generali Ecclesiæ, d. c. *Bonæ memoriæ. h. t.* Imo cardinales in Ecclesiæ sui tituli habent jurisdictionem quasi episcopalem, c. *His quæ. 11, de Majorit. et obed.* Ergo, cum episcopi non possint eligi, sed tantum postulari, ut dictum: simulque nemo sit eligendus ad minus officium, sed solum ad majus, can. *Legimus, § fin. dist. 93*, et cap. I, et c. *Licet, de Translat. episcop.* etiam cardinales non sunt ad episcopatum eligendi, sed postulandi.

45. *Cardinales episcopi non possunt eligi ad episcopatum.* — Resp. I. Certum est, quod cardinales episcopi non possint eligi ad alium episcopatum, sed dumtaxat postulari: hoc enim generale est de quibusvis episcopis, ut proxime dictum. Verum quia dantur cardinales non episcopi, ut sunt cardinales presbyteri, et diaconi, de his solum potest moveri dubium: ad quod

46. *Bene tamen cardinales non episcopi.* — Resp. II. Cardinales non episcopi possunt eligi in episcopum, non vero solemniter postulari; licet debeant postulari non solemniter pro obtinenda licentia papali, ut possint exire curiam. Ita Abbas Panorm. d. c. *Ecclesia vestra. 57, n. 15, de Elect.*; Fagnanus c. *Bonæ memoriæ. n. 16, h. t.* allegans insuper Abbatem antiquum, et Ægidium; Pirhing. h. t. n. 11, et alii, contra Hostiensem

d. c. *Ecclesia vestra, n. 1, de Elect.* et Sylvestrum, qui tenent cardinalem presbyterum esse postulandum.

47. *Et ratio hujus.* — Conclusio hæc desumitur imprimis ex c. *Ecclesia vestra. 57, de Elect.* ubi quidam presbyter cardinalis legitur fuisse electus in episcopum. Id ipsum probatur ex eo, quia in cardinalibus non episcopis cessat ratio conjugii spiritualis, ob quod episcopi non possunt eligi, sed tantum postulari ad alium episcopatum. Deinde tunc solum necessaria est solemnitas postulatio, quando quis non potest assumi in episcopum absque dispensatione superioris (siquidem postulatus non nisi dispensative admittitur ad prælaturam) si autem nulla opus est dispensatione, tunc locum habet electio; etsi quandoque requiratur licentia superioris, cui quis immediate est subjectus, sicque postulatio minus solemnitas accedere debeat. Atqui cardinalis non episcopus nulla indiget dispensatione, ut possit assumi in episcopum, sed sola licentia Papæ ad recedendum e Curia; ergo.

48. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec urgent rationes dubitandi in oppositum allatæ. Non enim obstat. c. *Bonæ memoriæ. 3, h. t.* quia opponitur cit. c. *Ecclesia vestra. 57, de Elect.* Unde, ut concordentur jura iuris, dicendum, quod in d. c. *Bonæ memoriæ*, verbum, *Postularunt*, ponatur improprie quoad cardinalem (illud intelligendo de postulatione minus solemnitas quæ re ipsa est electio) haud obstante, quod quantum ad alterum episcopum, qui simul ibidem dicitur postulatus, proprie sit accipiendum. Abbas Panormit. cit. c. *Bonæ memoriæ, n. 5*, allegans Abbatem Panormit.

49. *Cardinales sunt episcopis majores quoad officium, non quoad dignitatem ordinis episcopalis. Episcopatu non datur major ordo in Ecclesia.* — Ad alterum dicitur cum Glossa marginali in can. *Quantum. 2, qu. 7*, ac Abbate Panormit., cit. n. 15, et aliis, quod quidem cardinales sint episcopis majores quoad officium, utpote respiciens statum Ecclesiæ universalis, c. *Bonæ memoriæ. 3, h. t.* non tamen cardinales sint majores istis quoad dignitatem ordinis episcopalis. Quia enim in Ecclesia Dei non reperitur ordo major episcopatu (unde episcopus cap. I, § *Per frontis de sacra Unction.* appellatur summus sacerdos: atque ipsemet Papa, denominando se ab ordine, appellat se episcopum, ut notat Glossa in proœmio *Sexti Decretalium, vers.*

Episcopus) hinc episcopus est major presbytero cardinali quoad dignitatem ordinis episcopalis. Et per hoc patet ad alias sequentes probationes.

50. *Cardinales habent alas ligatas. Unde debent postulari, postulatione minus solemn.* — Nec obstat, quod cardinales dicantur habere alas ligatas. Inde enim solum sequitur, quod sint postulandi postulatione minus solemn, quatenus videlicet petenda est licentia Domini Papæ, ut possint discedere ab Ecclesia Romana, cui specialiter sunt astricti, ad Ecclesiam particularem, in cujus episcopum eliguntur: non autem inde sequitur, quod sint postulandi postulatione solemn, de qua impræsentiarum est sermo, ad instar episcoporum.

51. *Habent in Ecclesiis sui tituli jurisdictionem quasi episcopalem.* — Insuper ex eo, quod cardinales in Ecclesiis sui tituli habeant jurisdictionem quasi episcopalem, recte quidem colligitur eorumdem dignitas atque excellentia sui officii: non autem fœdus spiritualis conjugii cum Ecclesia proprii sui tituli, quæ est ratio, cur episcopi non possint eligi, sed solum postulari. Illud autem, quod nemo debeat eligi ad minorem dignitatem, est de decencia, non de necessitate: præsertim accedente proprio consensu, et in casu illo, ubi minor dignitas sub certo respectu simul existit major; prout episcopatus ratione ordinis episcopalis, atque spiritualis matrimonii cum propria Ecclesia, est major, digniorque simplici cardinalatu.

52. *Omnes clerici episcopis inferiores possunt eligi.* — Quæritur VI. Utrum abbates, alique clerici episcopis inferiores, ad aliam Ecclesiam, seu dignitatem possint eligi, vel potius sint postulandi? Resp. Omnes clerici infra episcopos non prohibentur eligi ex eo, quia habent Ecclesias seu dignitates inferiores. Hanc conclusionem pro regula ponit Abbas, cap. ult. n. 8, h. t. et Passerinus, cit. cap. xxiv, quæst. 12, n. 38; Pirhing, h. t. n. 13, et alii. Ratio est, quia non est tanta conjunctio inter inferiores clericos, et eorum Ecclesias, quanta inter episcopum et suam Ecclesiam: siquidem matrimonium spirituale proprie consistit inter episcopum, et suam Ecclesiam, can. *Sicut vir*, et can. *Sicut alterius*. 7, quæst. 2, et c. *Inter corporalia. de Translat. episcop.* Inter inferiores autem clericos, eorumque Ecclesias, non contrahitur proprie matrimonium, sed quasi matrimonium. Abbas, loc. cit. n. 5. Accedit, quod nullo jure sit prohi-

bitum, sed potius permissum, ut clerici episcopis inferiores eligantur, prout ostenditur inductione.

53. *Abbas potest eligi in episcopum.* — Sic quippe imprimis Abbas potest eligi in episcopum, text. clar., c. *Si abbatem*, 36, de *Elect.* in 6. Quamvis abbas, si sit exemptus, ac immediate subjectus Sedi apostolicæ, non possit ad aliam Ecclesiam transire sine licentia Papæ, vel ejus Legati de latere, prout ibidem notatur. In abbate autem non exempto requiritur, et sufficit ad hoc licentia proprii episcopi, aut immediati superioris, arg. c. *Si Religiosus*, eod. in 6.

54. *Idem dicendum de præpositis, dignitatibus inferioribus, ac religiosis. Specialia de consensu religiosorum quoad hoc.* — Deinde, quod præpositi, et habentes dignitatem inferiorem, possint eligi, patet ex c. *Cum inter*, 21, et c. *Dudum*, 22, de *Election.* Idem de religiosis esse dicendum, constat ex c. *Si religiosus*, 27, et c. *Nullus*, 28, de *Elect.*, in 6, cum similibus. Quanquam religiosi, cum velle vel nolle non habeant, electioni de se extra suum monasterium, vel suam Ecclesiam celebratæ, nequeant consentire absque petita et obtenta licentia sui superioris, et quidem sub nullitate actus, atque electionis, si secus quispian eorum facere præsumperit, cit. c. *Si religiosus*, et c. *Quorundam*, 24, eod. in 6.

55. *Pænæ postulantium indignum, quæ? De qua indignitate procedat hæc quæstio.* — Quæritur VII. Quæ sint pænæ postulantium indignum? Ubi prænotandum, quod præsentis quæstio solummodo intelligenda sit de indignitate, seu inhabilitate indispensabili, in qua videlicet vel non potest, vel non solet dispensari: ut si quis sit omnino illitteratus, criminosus, excommunicatus, suspensus, aut alium defectum indispensabilem patiens; juxta dicta n. 34. Alioquin enim postulatio solemn is semper fit circa personam de jure inhabilem ad obtinendam prælaturam, ac proinde dispensatione superioris indigentem. Hoc prænotato,

56. *Tales pro ea vice privati existunt jure postulandi, ac eligendi.* — Resp. I. Qui scienter ad prælaturam postulant indignum, set laborantem defectu indispensabili, ipso jure pro ea vice privati existunt potestate postulandi seu eligendi. Ita deservit ex c. 1, § fin., h. t., ac notat ibid. Glossa, *γ. Privare*, et Abbas, n. 31, cum aliis. Concordat, c. *Scriptum est*, 40, § *Si vero de Elect.*, cum similibus. Quomodo autem sit intelligendum ly scienter,

et ly pro ea vice, ex professo dicitur tit. seqq., § 41, num. 258 et seqq.

57. *Idem dicendum de iis, qui postulationem vitio personæ cassatam innovant.* — Resp. II. Insuper illi, qui postulationem vitio personæ cassatam, denuo innovare præsumunt, ipso jure pro una vice privati existunt potestate postulandi, et eligendi. Ita habetur expressum, cap. II, h. t., atque amplius declarat Glossa ibidem, vers. *Niterentur*, et doctores passim.

58. *Pænæ postulantium minorem viginti septem annis ad episcopatum.* — Resp. III. Qui minorem viginti septem annis (hoc est, eum, qui vigesimum septimum ætatis annum nondum attigit) scienter postulaverint ad Ecclesiam cathedralem; aut qui professorem cujusvis mendicantium ordinis postulant ad inferiores cathedralibus Ecclesias extra suos ordines: non solum pro ea vice postulandi, ac eligendi potestate ipso jure sunt privati; sed etiam beneficiis, quæ in tali obtinebant Ecclesia, per triennium suspensi esse noscuntur. Patet hoc ex Extravag. un., h. t., *Inter communes*: ubi etiam diversæ pænæ statuuntur in postulatos, qui ejusmodi postulationis de se factæ negotium per se, vel per alium, in Romana Curia prosecuti fuerint.

§ III.

DE FORMA POSTULATIONIS, ET ALIIS EAM CONCERNENTIBUS.

59. *Tutius est, ut forma scrutini observetur in solemn postulatione.* — Quæritur I. Utrum forma scrutini sit necessaria ad postulationem solemnem? Resp. Etsi tutius sit, ut forma scrutini (qualis pro electione præscribitur in c. *Quia propter*, 42, de *Elect.*) una cum aliis solemnitatibus ad electionem requisitis, etiam observetur in solemn postulatione; nihilominus id absolute necessarium non est. Ita Hostiensis in Summa. tit. de *Postulatione*. n. 20; Layman, cap. un. n. 5, et ibi Francus, n. 3, h. t. in 6; Fagnanus, c. *Publicato*, n. 50, de *Elect.*; Passerinus, cit. cap. xxiv, quæst. 3, num. 9; Pirhing, h. t. n. 31; Sylvester, vers. *Postulatio*. qu. 2, et alii ab ipsis citati. Quamvis quoad alteram partem oppositum teneat Abbas Panormit. in c. *Quia propter*. n. 9, quæst. 2, de *Elect.*; Innocentius, c. *In causis*. n. 1, eod.; Baldus ad rubricam. h. t. num. 4; Tholosanus, Tabiena, et nonnulli alii.

60. *Tutius est, ut forma scrutini observetur in solemn postulatione.* — Prima pars ex eo patet, tum quia plures insignes doctores (ut proxime allegati) censent, formam scrutini etiam ad postulationem requiri: ac proinde subintrat illud divi Augustini, relatum in c. *Si quis autem de pœnit.*, dist. 7. « Ergo tene certum, dimitte incertum; » tum quia electio et postulatio, tanquam duo ad unum eundemque finem tendentia, in jure æquiparantur: quinimo jura antiqua promiscue his vocabulis interdum utebantur; ut patet ex can. *Litteras*. dist. 63; tum tandem, quia licet Papa de plenitudine potestatis possit admittere postulationem, non servata forma scrutini celebratam, id tamen ordinarie facere non consuevit, ut ait Pirhing, cit. num. 31.

61. *Id tamen absolute non est necessarium.* — Secundæ vero partis probabilitas suadet, tum ex auctoritate doctorum pro ea jam allegatorum: tum ex eo, quia solemnitas scrutini nullibi in jure habetur expressa in ordine ad postulationem: nam in cit. c. *Quia propter, de Election.*, solum est sermo de electione. Accedit, quod majoris sit efficaciam electio, utpote per quam electo jus acquiritur, quam postulatio; ac proinde non mirum, quod plures ibi requirantur solemnitates, quam in postulatione: sicut in simili plures requiruntur solemnitates ad testamentum, quam ad codicillum. Tandem probatur hoc est eo: quia, si eadem solemnitates requirerentur ad postulationem, quæ ad electionem; ergo sicut hic publicato scrutinio non possunt variare electores, ita nec possent variare postulantes: atqui hoc est falsum, juxta dicta n. 27, et seqq.; ergo.

62. *Solvitur fundamentum oppositæ sententiæ.* — Ad fundamentum sententiæ oppositæ. resp. electionem et postulationem in jure suffragandi quidem æquiparari, ut jam dictum dictum n. 17. et seqq., non tamen in omnibus aliis, ac præsertim non in iis, quæ ad essentielle earum discrimen pertinent, vel inde oriuntur. Hoc autem fit in proposito, cum electio sit majoris virtutis, ac tribuat jus electo, non item postulatio: unde et postulantes adhuc variare possunt, non vero eligentes publicato scrutinio.

63. *Formula postulandi specialiter a jure canonico reprobata.* — Quæritur II. Quænam formæ postulandi a jure canonico sint specialiter reprobata? Resp. I. Quæstio hæc resolvitur in cap. un. h. t. in 6, ubi sequentes formulæ, quas perniciosa curiositas adinve-